

ACTA
Capitulorum
Generalium

tom. I.

ab anno 1589 ad 1650



89

~~25-6.~~


D-32-96^S

BIBLIOTECA
DE LA
UNIVERSIDAD
Y PROVINCIA
DE
ZARAGOZA.

Nº 295

Est. ~~VI~~ Tab. ~~X~~

~~29-6a~~





Indice de las Actas de Capítulos Generales
les q^{as} se contienen en este tomo, q^{as} empieza
del año de 1589. y se van notando las que no es-
tan desde dho año. tomo 1.

- N. 1. = 1589 21 Mai^o. ^{Roma} sub R^{mo} Hippolito Maria Becaria
faltan 1592 17 Mai^o sub R^{mo} eodem, Venetij
faltan 1596 inf. Pent. Valentia sub eodem.
faltan 1600 Pentec. Neapoli sub eodem.
- N. 2 = 1601 - inf. Pent. Roma sub R^{mo} Hieron^o Xarionne
- N. 3 = 1609. inf. Pent. Vallidleti sub eodem Rev^{mo}
- N. 4 = 1608 29 Mai^o Roma sub Rev^{mo} August^o Salamino
- N. 5 = ~~1611~~ 22 Mai^o Parisij sub eodem Rev^{mo}
- N. 6 = 1612. 12 Jun. Roma sub R^o Seraphino Siccio Papiensi
- N. 7 = 1619 7 Jun. Bononia sub eodem Rev^{mo}
- N. 8 las mis mas impuay en Tapag^a.
- N. 9. 1618: 9 Jun. Utrippone. sub eodem Rev^{mo}
- N. 10 = 1622 19 Mai^o Mediolani sub eodem R^{mo}
- N. 11 = 1628. 11 Jun. Tolosa sub eodem R^{mo}
- N. 12 = 1629. 2 Jun. Roma sub Rev^{mo} Nicolao Rodulfo
- N. 13 = Provisiones p^{ro} bono regimine Provincia
rum Indiarum Occidentium fecho in Capit^o Gen^o big
juio Rev^{mo} Seraphini Siccio Papiensi anno 1619
faltan 1644 14 Mai^o Roma sub Rev^{mo} Thoma Turco
- N. 14. = 1647 inf. Pent. Valentia sub eodem R^{mo} Turco.
- N. 15 = 1650. 9 Jun. Roma sub R^{mo} Ioan. Prop. de Maximij.
y fin del tomo.

Notice de la Bibliothèque de la
 Université de la Sorbonne en l'année
 de 1887.

N. 1 = 1887 21 Jan. N. 2 = 1887 21 Jan. N. 3 = 1887 21 Jan. N. 4 = 1887 21 Jan. N. 5 = 1887 21 Jan. N. 6 = 1887 21 Jan. N. 7 = 1887 21 Jan. N. 8 = 1887 21 Jan. N. 9 = 1887 21 Jan. N. 10 = 1887 21 Jan. N. 11 = 1887 21 Jan. N. 12 = 1887 21 Jan. N. 13 = 1887 21 Jan. N. 14 = 1887 21 Jan. N. 15 = 1887 21 Jan.





Rome.

1589

1+

29.60

6334



HAEC SVNT ACTA
CAPITVLI GENERALIS
ROMAE CELEBRATI

In Conuentu S. Mariæ super Mineruam, in Festo
Sanctiff. Pentecostes, Anno Domini M D LXXXIX.
Die vigesima prima Maii.


SVB REVERENDISSIMO P. F. HIPPOLYTO
Maria Beccaria de Monte Regali, Sacræ Theologiæ
Profess. in eodem Capitulo, summo Patrum consensu,
in Generalem Magistrum totius Ordinis
Prædicatorum electo.

Diffiniētib; communiter RR. PP. Prouincialibus; et
Diffinitoribus infraſcriptis. Videlicet.

VALENTIAE apud Philippum Mey, M D XC.


F. Bartholomæo Muñoz Præsentato, Prouinciali Hispaniæ.
F. Vincentio de Monte Santo, Magist. Prouinc. vtr. Lombardiæ.
F. Paulo Signorello Cortonenſi, Magistro Prouinciali Romano.
F. Angelo Mirabino Fauentino, Magist. Prouinc. Prouinciæ Regni.
F. Conrado Zittardo, Prædicatore generali Prouinc. Theutonix.
F. Marco Iustiniano de Chyo Lectore, Prouinciali Græciæ.
F. Ioanne Baptista Lancio Regien. Magist. Prouinc. Terræ Sanctæ.
F. Ioanne Loazes, Magistro Prouinciali Aragoniæ.
F. Ioanne de Mota, Magistro Prouinciali Prou. Prouinciæ.
F. Ioanne Carnithæo de Faro, Prædicatore gener. Prou. Dalmatiæ.
F. Decio Palumbo, Magistro Prouinciali Trinacriæ.
F. Didaco Ramirez, Magistro Prouinciali Portugalliæ.
F. Bartholomæo Cauallero, Magistro Prouinciali Bethicæ.
F. Dominico Azeueto de Brundusio, Magist. Prou. Prouin. S. Thomæ.
F. Petro Pontio de Neocastro, Magistro Prouinciali Calabriæ.
F. Alphonso Soto, Magist. Theol. Patauino, Prou. Prouin. S. Dominici.

F. Martino Gutierrez Præsentato, Diffinitore Hispaniæ.
F. Adeodato Gentili Genuens, Magistro Priore Genuen. 2. Diffinitore
vtriusque Lombardiæ.
F. Antonino Brancuto Perusino, Priore S. Mariæ super quercum, Dif-
finitore Romano.
F. Andrea de Caferta Baccalaureo, Diffin. Prouinciæ Regni.
F. Ioacchino Pizzono Lectore, Diff. Vngariæ.
F. Germano Hortensio, Prædicatore generali, Diff. Theutonix.
F. Seuerino Cracouien. Magistro, Diff. Polonia.
E. Antonino Poñs Magistro, Diff. Aragoniæ.
F. Dominico de Nicopoli Lectore, Diff. Bohemiæ.
F. Paulo Berengario Baccalaureo, Diff. Prouinciæ Prouinciæ.
F. Innocentio Preso de Pago, Predicatore generali, Diff. Dalmatiæ.
F. Ioanne Capello de Noto Magistro, Diff. Trinacriæ.
F. Bartholomeo de Miranda Magist. Procuratore Ord. Diff. Bethicæ.
F. Petro de Cruce Magist. Diff. Germaniæ Inferioris.
F. Ioanne Baptista de Medunio Magist. Diff. Prouinciæ S. Thomæ.
F. Ioseph Datilo Cusentino Magistro, Diff. Calabriæ.
F. Christophoro de Ortega Magist. Diff. Prou. S. Jacobi de Mexico.
F. Sebastiano Michaela Magist. Diff. Prouinciæ Occitana.
F. Angelo Andronico Magist. Metaphys. Patau. Diff. Prou. S. Dñici.



FRATER HIPPOLYTUS
MARIA BECCARIA DE MONTE
REGALI, SACRAE THEOLOGIAE PRO-
fessor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis
Generalis Magister, et seruus.

*Uniuersis eiusdem Ordinis Professoribus salutem,
& reformationis spiritum salutarem.*

 **I**n eo statu felicissimo,
quo antiquitus optime constituta
fuit sacra nostra Dominicana Reli-
gio, nunc etiã persisteret, si inquam
feruentissimo illo spiritu, quo in-
choata fuit, adhuc perseueraret, si
eosdem spirituales faceret progressus, si eadem humili-
tas, eadem obedientia, eadem voluntaria paupertas, ea-
dem ardentissima charitas vigeret; proculdubio (Patres
optimi) non esset necesse, nouas in dies condere leges,
vel antiquas iterato ob oculos ponere. Verum quo-
niam proni sunt hominis sensus ad malum, et caro sem-
per vergit in culpam, atque ex humana fragilitate con-
tingit, vt ab illa primeuã institutione iugiter deficiamus;

quoniam inquam (quod cum lacrymis dicere cogimur) interdum abest virtus, adsunt, et serpunt vitia, sacrae nostrae leges non seruantur, praecipua maiorum obliuioni traduntur, infelicissimeque deflectimus a recta regularis obseruantiae via. Hinc est, vt iuxta temporum qualitatem, et dierum malitiam, necesse sit, noua condere statuta, variasque successiue congerere ordinationes; vt sic, vel nouis legibus ligati, temperemus a malo, declinemus a vitiis, incitemur ad bonum, prouocemur ad virtutem, ne dicam quasi cogamur, et compellamur ad seruandum, et praestandum id, quod seruare, et praestare tenemur, contineamurque in obseruantia antiquarum legum nostrarum, dum earum fracta vincula per nouas leges pene reficiuntur, reparantur, ac restaurantur. Accipite itaque Dominici Professores, Ordinationes, et Statuta huius generalis Capituli, pro communi totius Ordinis nostri beneficio facta: et ea in corde vestro, quasi firmamentum construite, ita vt numquam a mente, nunquam a memoria recedant. Reuertimini, quaeso, reuertimini prauaricatores ad cor; reuertimini ad vosmetipsos Patres, et Fratres, reminiscetes professionis vestrae, atque ad memoriam reducentes, cuius Patris filii sitis, cuius capitis membra, et sub cuius Ducis insigniis militetis. A nostro Patre, et Duce Beatissimo Patriarcha Dominico, ne degeneremus, precor; sed ad illam primam viuendi rationem, ab eodem Sanctissimo Patre, et Du-

et Duce nostro institutam, et nobis præscriptam, omni studio, omniq. diligentia redire conemur. Quod si villo vnquam tempore id opportunum fuit, his præsertim infelicissimis temporibus non modo opportunum, sed summopere quidem necessarium est, quâdo totus mundus in maligno positus est, quando Catholicæ Fidei impiissimi hostes vndique insurgunt, quando hæresum sæuissima pestis vbique serpit, quando omnium oculi in nos quodammodo conuersi, auxilium a nobis in tempore tribulationis (alias ab hac eadem Religione tam litteris, quam exemplis abunde præstitum) expectare videntur. Heu, heu, Patres, Si sal euanuerit, in quo salietur? Si nos, per quos condiendi sunt quodammodo populi, atque verbo, exemplo, et doctrina instruendi, illuminandi, et corripiendi, vani, et defectuosi fuerimus; quid erit de aliis? Sic quæso, sic quæso, luceat lux nostra coram hominibus, vt videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum, qui in cælis est. Valetè viscera mea, et Deum pro me orate.



F. IOANNES LOAZES
Sacrae Theologiae Professor, ac Pro-
uinciae Aragoniae Ordinis Praedicatorum humilis Prior
Prouincialis, et seruus; Reuerendis admodum Pa-
tribus Magistris, atque Prioribus, ceterisque
eiusdem Prouinciae Fratribus S.




Quamquam dubitandum
non sit, eos, qui omnium generalium Co-
munitiorum Decreta summa alacritate re-
cipere consueuerunt, has quae nunc sunt
in manibus Sanctiones, partim a Capitu-
lo generali, partim a Summo Pontifice,
eiusque vices gerentibus Cardinalibus editas, iucunde acceptu-
ros, & constantissime obseruaturos; mearum tamen partium
est, vos omnes hortari, atque vrgeri, vt eas tamquam e caelo la-
psas, aperto sinu complectamini, & omni tergiuersatione post-
posita, exequamini. Memores itaque esse debetis, tum illius
nostrarum Constitutionum edicti, quo generalium Capitulorum
acta, quasi a Spiritu sancto profecta, recipi iubentur, tum il-
lius Redemptoris sententiae: Qui vos audit, me audit; et qui vos
spernit, me spernit. Quibus plane verbis quamuis nil cogitari
possit quod magis ad obediendum impellat, nihilominus in men-

tem reuocare oportet, Obedientia virtutem fuisse, quæ nostram
prouinciã præ aliis Hispaniæ prouinciis illustriorem perpe-
tuo reddidit, innumerisq. Sanctis locupletauit. Nam principio
quidem Beatum Raimundum Peñafortium, B. Petrum Cineris,
Diuum Michaelem a Fabra, Urgellēs, q. Martyres habuit;
deinde Apostolicæ Fidei præconem aluit D. Vincentium Fer-
rarium, vna cum eius synchronis, virtutum gloria celeberrimis,
Thoma Carnicerio, & Petro Queralto, quorum corpora
in corrupta Herda seruantur; et Beatis Iamfrido Blanes, Pe-
tro Cerdano, Raphaele Cardona, & Ioanne a Pulchro Prato,
quos omnes miraculis claruisse, ex processu Canonizationis
Dni Vincentii constat: quin etiam nostris temporibus post
egregios Martyres Dominicum a Monte Maiori, & Ama-
torem Spi, ditata hæc prouincia fuit gloriosissimis Patribus
Ioanne Nico, et Ludouico Bertrando: quibus adiungere non
veremur, Religionis in Aragonia lumina, Patrem Illephosum
Valentinum, Patremq. Thomam Paredes; ac Cathalonie in-
bar præfulgidum Petrum Martyrem, Etenensem Episcopum;
ac tandem Valentini Regni Sydera Laurentium Lopez, Mi-
chaelem a S. Dominico, et Petrum Martyrem Alcanizium.
Hos omnes, quid obsecro fuisse putatis, quam quosdam sacræ
obedientie flores, aut verius fructus? nisi enim maiorum dictis
obtemperassent, nisi se ad constitutionum præscripta accommo-
dassent, nisi ad amussim Capitulorum generalium Decreta ser-
uassent, nunquam tam celebre nomen posteris reliquissent, num-
quam immensam, qua in cælo potiuntur, gloriam obtinuissent.


Eorum

Eorum igitur sequentes vestigia, Superioribus nos morigeros exhibeamus, si cupimus felicitatem consequi sempiternam. Porro cum in eisdem actis cauum sit, ut antiqua huius provincie gesta Romam mittantur; certiores vos facimus, nos eam curam in Magistrum Vincentium Iustinianum Ancistium reiecisse, quoniam eius scripta Hispanis, Italisq. gratissima esse nouimus. Omnibus itaque Prælati in meritum obedientia imponimus, ut quam citius poterunt, cœnobiorum instrumenta, & scripta euoluant, & ad prædictum Patrem scribant, quo anno quæq. domus constructa fuerit, quos Fratres sanctitate, litteris, aut dignitatibus ecclesiasticis illustres habuerit, tam natiuos, quam assignatos; qui Episcopi etiam exteri, ex nostro tamen Ordine assumpti, diœcesibus, ubi cœnobio existunt, præfuerint; ac demum, si quæ notatu digna, ad Ordinis decorem pertinentia, ibidem acciderint. Valete dilectissimi Patres, Deumque pro nobis assidue interpellate. Valentia, in Festo D. Thomæ Aquinatis 1590.





CONFIRMATIONES.



CONFIRMAMVS id, quod in præcedenti Capitulo inchoatum fuit. Nempè quod in Hymno Pafsionis cum peruenerint fratres ad versiculum illum, O crux aue, et c. omnes genua deuote flectant. 2. Confirmamus etiam id, quod in Capitulo Generali Romæ 1580. inchoatum, et in alio Capitulo Romæ 1583. pariter confirmatum fuit; nempè quod in Euangelio Epiphaniæ, cum peruentum fuerit ad illud, Et proidentes adorauerunt eum, et c. omnes fratres in choro genua flectant. Quod similiter est faciendum in Cantico, Te Deum, et c. ad illum versiculum, Te ergo, et c. Et in Hymno Corporis Christi, cum dicitur, Tantum ergo Sacramentum, et c. In Symbolo vero, quod in Missa publice recitatur, cum dicitur, Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur. omnes fratres in choro, discooperto capite, deuotius inclinent, corporis gestu interiorem animi fidem significantes. Et hoc iam habet vim constitutionis.

3. Confirmamus pariter id, quod in aliis Capitulis statutum fuit, vt in Hymno, Gloria in excelsis Deo, et c. cum dicitur, Gratias agimus tibi, et c. fratres vsque ad genua deuote inclinent. Quod etiam faciendum est, cum dicitur, Aue maris stella. Ne minus deuoti, quam sæculares videamur.

4. Confirmamus ordinationem in præcedenti Capitulo factam, quod fratres extra Conuentum quacumq. occasione, prætextu, et causa ordinariè commorantes, nullatenus in Conuentibus, in quibus sunt assignati, actiuam vocem habeant in aliqua electione.

5. Confirmamus etiam ordinationem sæpe, ac sæpius factam, et confirmatam; quod si quis vi renuntiationis propriæ vocis, medietatem eligentium excesserit in quacumque electione, tam canonica, quam alia, electio ipsa nulla, irrita, et inualida censeatur. Declarantes, quod si quis nec voti propriæ renuntiare, nec votum suum dare voluerit, sed neutraliter se habere dixerit; tamquam si voci suæ renuntiaffer, censendus erit. Qui vero contra huius ordinationis tenorem quempiam electum

confirmauerit, poenis quæ contra non legitime electos confirmantes statutæ sunt, subiaceat. Et confirmatio nihilominus nulla sit, et inualida.

6 Confirmamus etiam ordinationem illam, quod nullus frater in aliquo Conuentu ex reformatis professus, possit alibi recipi, siue detineri, sine speciali licentia Reuerendissimi Patris Generalis.

7 Confirmamus ordinationem in præcedenti Capitulo de communi totius Ordinis consensu factã, quod nullus sub poenis in Capitulo grauioris culpæ contentis, ac etiam sub poena excommunicationis latæ sententiæ, vna pro trina canonica monitione præmissa, (cuius absolutio Reuerendissimo Magistro Ordinis reseruatur) directe, vel indirecte diuisionem ordinis, aut institutionem Vicarii generalis Indiarum, quouis prætextu procurare audeat, vel præsumat.

8 Confirmamus etiam ordinationem sæpe, ac sæpius factam, necnon sub præcepto formali, et sub poena excommunicationis latæ sententiæ, hac vna pro trina canonica monitione præmissa, præcipimus; ne frater aliquis, cuiuscumq. condicionis, vel status existat, litteras criminosas, diffamatorias, aut famosos libellos, per se, vel per alium, absque proprii nominis subscriptione, aduersus quemcumque, siue intra, siue extra Ordinem, scribere præsumat. Præcipientes omnibus Prælati in virtute Spiritus sancti, et sanctæ obedientiæ, vt si quos huiusmodi Ordinis destructores repererint, pro tanto flagitio grauissime puniant, et excommunicatos declarent.

9 Confirmamus declarationem illam in Capitulo Barchinonensi factam, quod Vicarii locorum in domibus suis subditos suos præcedant, locumq. superiorem, præterquam supra Magistros, habeant. Quod si Priorem Conuentualem ad illorum domum venire contingat, huiusmodi Vicarios præcedat, dicatq. etiam præsentem Vicario fidelium, et c.

10 Confirmamus ordinationem in præcedenti Capitulo factã, quod tum moniales, tum etiam sorores de poenitentia Sancti Dominici, tertii habitus dictæ, quæ votum in electionibus habere solent, nullatenus eo potiuntur, nisi post quatuor annos a sua professione tractos; vt etiam de fratribus nostris in Constitutionibus decretum est.

11 Confirmamus in prouincia Aragoniæ ordinationem a Reuerendissimo Generali præterito factam, circa Collegium Dertusense; quod toto tempore quo fabrica ecclesiæ dicti Collegii perdurauerit; Conuentus omnes suis Collegialibus ibi degentibus de vestitu, et calceatu, sub

præce-

3
præcepto, et pœnis in eius litteris conuentis, prouidere teneantur: quã
si opus est, innouamus, et de nouo idem statuimus, et mandamus.

12 Confirmamus insuper in eadem Prouincia conuentionem inter
Conuentum de Ayora, Prouinciã eiusdem; et Conuentum de Chin-
chilla, Prouinciã Bethicã, circa eorum terminos factam, et a Reueren-
dissimo Generali præterito approbatam; quod scilicet Conuentui de
Ayora omnia oppida in litteris Reuerendissimi Patris fratris Seraphi-
ni Brixienfis expressa, Conuentus de Chinchilla cedat, et solum ex iis
oppidum de Xorquera pro se habeat; neque alteruter horum Conuen-
tuum terminos præfixos transgredi audeat.

13 Confirmamus etiam, et approbamus id, quod in duobus imme-
diate præcedētibus Generalibus Capitulis statutum, et ordinatum fuit;
vt nullus ad Magisterii, siue ad Baccalaureatus, vel Præsentaturã gra-
dum promoueri possit, nisi suã Prouinciã petitionem habeat; qua etiã
obtenta, non nisi præmissis riguroso examine per quinque examinato-
res, per vota secreta, ad huiusmodi gradum admitti valeat. Quod quidẽ
inuiolabiliter vbique in nostro Ordine obseruari præcipimus: et si se-
cus quacumque ratione factum fuerit, totum sit irritum, et inane. Ce-
terum si Prouinciã nomine, quemcumque gradum falso quis petierit,
cum Prouincia non petat; inhabilis perpetuo sit, ad huiusmodi gradum
assumẽdum. Petitiones vero non solum a Prouinciali, sed etiam a Dif-
finitoribus fieri debebunt. Et hoc habet tria capitula continua.

14 Confirmamus pariter, ac ratam, et firmam haberi volumus ordi-
nationem præcedentis Capituli; vt numerus graduatorum in vnaquaq.
Prouincia præscriptus, inuiolabiliter obseruetur, ita vt supra ipsum nu-
merum Prouinciẽ petere non debeant graduatos; et numquam nisi Re-
uerendissimo Patre Generali, aliqua vrgenti de causa aliter disponẽte,
excedatur. Quod si secus factum fuerit, totum sit irritum, et inane.
Numerus vero in Prouinciã Aragoniã, erit vt infra.

15 In Prouincia Aragoniã, ad eius petitionem, extendimus numerũ
Magistrorum ad numerum 25. Præsentati vero erunt 30. Prædica-
tores generales iuxta numerum Conuentuum. Decernentes, et de-
clarantes, quod in posterũ huiusmodi numeri sunt seruandi; non quod
necessum sit, graduatos ad talem numerum ascendere, sed quod illum
nullo modo excedant.

DECLARATIONES.

D Eclaramus, quod Priores Prouinciales, extra suam Prouinciam, locum supra Priores Conuētuum, in quibus reperiuntur, habere debent, etiam in Refectorio, vbi ad locum Nolæ sedere debent: iuxta declarationem Constitutionum nostrarum Dist. 2. cap. 13. de itinerantib. Cui declarationi tamquam postremo factæ standum est. Non obstante alia declaratione, quæ in contrarium facere videtur, Distin. 2. cap. 3. de electione Prouincialis. Pulsare tamen Nolam pertinebit ad Priorem Conuentualem, vel ad Suppriorem, etiam præsentem Prouinciali alterius Prouinciæ; cui nihilominus dandus est locus ipsius Nolæ, cum non sit locus iudicii, sed dignitatis. Aliud est enim tenere locum Nolæ, aliud pulsare ad ipsam Nolam.

2 Item Declaramus, quod quoties pro Magisterio litteræ patentes conceduntur, Temper clausula illa generalis (saluis tuæ Prouinciæ iuribus) subintelligenda est; etiam quod in ipsis litteris interdum non exprimitur: neque clausulæ generales, quæ in oppositum facere videntur, cuiquam suffragari debent; nisi specialiter fiat mentio de particulari derogatione priuilegiorum Prouinciæ, pro tali vice.

3 Item Declaramus, quod quando Constitutio dicit, Prædicatores generales in qualibet Prouincia numerum Conuentuum excedere non debere; nomine Conuentuum, neque Vicariatus, neque Loca veniunt intelligenda.

4 Item Declaramus, quod nullus debet excludi a quacumque electione, prætextu alicuius criminis, vel delicti, nisi sententialiter sit condemnatus, et per sententiam voce priuatus; quamuis ad electionem non debeat admitti ille, de quo manifestum sit incidisse in excommunicationem latæ sententiæ; etiam nulla alia declaratione subsequuta. Cum sufficiat aperte constare eum commisisse aliquid, per quod reuera ipso facto in excommunicationem latæ sententiæ incidit.

5 Item Declaramus, ad tollendam quamcumque fraudem, et doli suspicionem, et quatenus opus sit, decernimus, et statuimus; quod ad hoc, vt aliquis in electione aliqua vocem habeat, non sufficit, quod ante electionis mensem in Conuentu, vbi eligere debet, fuerit assignatus; nisi de assignatione ipsa, et Prælato, et Conuentui, in quo de nouo est assignatus, reuera ante mensem constiterit.

Item

5
6 Item Declaramus, quod ille qui est in aliquo Conuentu assignatus, et electioni reuera adesse potest, siue talis electioni cum aliis in Capitulo intersit, siue non intersit; debet necessario habere duo vota ultra eligentium medietatem, ad hoc, vt rite, et canonice censeatur electus. Sicuti etiam de illo, qui propriæ voci renuntiat, iam sæpe declaratum est.

7 Item Declaramus, quod censuræ, et præcepta, tam Capitulorum generalium, quam etiam Magistri Ordinis, cum ipsis omnino expirant: eorum tamen ordinationibus in suo robore, quoadusque reuocentur, manentibus. Quamuis contrarium in glossa Constitutionum in prologo haberi videatur.

8 Item Declaramus, Priores Prouinciales, vel Conuentuales, aut Magistros Nouitiorum, non posse pro libito suo, Nouitios exuere habitu nostri Ordinis; sine consilio Patrum, caussa mature discussa.

9 Item Declaramus, religiosos Tertii habitus nostri, ad habitum clericalem assumi non posse, absque expressa, et speciali licentia Magistri Ordinis; sicuti neque Conuersos. Et si secus fiat, totum irritum, et inane decernimus, et declaramus: et nihilominus Prælati eos recipientes, absolutionem a suis officiis, et perpetuam priuationem vocis passiuæ, eo ipso incurrant.

10 Item Declaramus, quod in Prouinciis, in quibus Magistri non gaudent loco, nec priuilegiis Magistrorum, nisi ab ipsis prouinciis sint acceptati; illi, qui in eodē Prouinciali Capitulo acceptati fuerint; iuxta suæ professionis ordinem, in tali Prouincia, in qua acceptantur, locum inter se tenere debent: vt alias declaratum fuit. Verum in Prouinciis, in quibus statim graduati gaudere solent loco, et priuilegiis, absque eo, quod acceptentur a prouincia; inter se locum habere debent Magistri, et Baccalaurei, secundum tempus promotionis eorum: prout etiam extra suas Prouincias facere conueuerunt, iuxta declarationem alias factam.

11 Item Declaramus, ad tollendas omnes dubietates, quæ accidere solent circa celebrationem nonnullorum Festorum; quod Festa Sanctæ Barbaræ, et Sanctæ Dorotheæ, celebrari debent sub Festo duplici; prout declaratum fuit in Capitulo generali Romæ 1569. Non obstante ordinatione prius facta in Capitulo generali Bononiæ 1564. Item Festa Sancti Ignatii, et Sancti Clementis celebrari debent sub Festo duplici; prout ordinatum fuit in Capitulo generali Romæ 1569. et con-

firmatum in aliis duobus generalibus Capitulis, Romæ 1571. et Barchinonæ 1574. Quamuis Barchinonæ, ex errore impressionis, positū fuerit, sub toto duplici, loco ponendi, sub festo duplici. Item Festa Exaltationis Sanctæ Crucis, et Sanctæ Lucie, celebrari debent, sub Festo toto duplici, prout declaratum fuit Romæ 1571. et confirmatum Barchinonæ 1574. et prius etiam per tria alia Capitula ordinatum. Item Festum Sanctorum Hippolyti, et Sociorum; et Festum Decem millium Martyrum, sub Festo duplici: prout inchoatū fuit Barchinonæ 1574. et confirmatum Romæ 1580. Et quæ secus habent Breuiaria, corrigantur. In noua vero impressione hoc præsertim animaduertatur. Festa vero Sancti Blasii, Sancti Petri ad Vincula, et Cathedræ eiusdem; Sancti Georgii, et Sancti Ludouici Regis Francorum, sub Officio simplici; et S. Alexii, sub Officio trium lectionum: prout in Ordinario iuxta decreta in Capitulo Salmanticensi, celebrari debent. Quamuis enim in Capitulo generali Romæ 1580. inter inchoationes positum fuerit, vt huiusmodi Festa, vna cum Festo Sanctæ Monicæ, sub Festo duplici celebraretur; in subsequenti tamē Capitulo generali Romæ 1583. huiusmodi inchoatio non fuit confirmata, sed expresse reuocata.

12 Item, conformiter ad ea, quæ in pluribus Capitulis generalibus sancita fuere; Declaramus, non esse in potestate alicuius Prouinciæ, prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegii; non acceptare Acta, seu Statuta Capitulorum generalium: sed omnes, et singulas Prouincias decretis, et ordinatis in eisdem Capitulis, ita subiectas esse, vt vnaquæq. earum teneatur ipsa Acta in vnoquoq. Conuentu publicare, acceptare, et inuiolabiliter obseruare; vt pote pro communi bono vniuersitatis Prouinciarum, Conuentuum, et fratrum facta. Et quatenus opus esset, auctoritate Apostolica reuocamus, et annullamus quamecumque consuetudinem, aut priuilegium, quomodolibet prætensum, aut in contrarium existens.

13 Item Declaramus in Prouincia nostra Poloniæ (prout etiam in toto Ordine iam declaratū fuit, in Capitulo generali Bononiæ 1564.) quod Prouinciales, qui suum tempus expleuerint, aut etiam fuerint absoluti; in eisdem Prouinciis non possint ad idem officium assumi, infra tantum tempus, quanto duorum Prouincialium integra officia durare solent.

DENUNTIATIONES.

DEnuntiamus omnibus fratribus nostri Ordinis, legitime vacante Generalatu, in hoc Capitulo generali fuisse canonicè electum in totius nostri Ordinis Generalem Magistrum Reuerendissimum Patrem fratrem Hippolytum Mariam Becariam de Monte Regali, ex officio generalis Commissarii Sanctæ Inquisitionis in Vrbe, assumptum: eundemque Sanctissimo D. N. Papæ Sixto Quinto, sollempni processione oblatum, et ab eo hilari vultu exceptum, et acceptatum fuisse.

2 Item Denuntiamus, Sanctiss. D. N. Sixtum Quintum, ad instantiam, et humilem petitionem admodum Reueren. Patris Magistri Bartholomæi de Miranda Procuratoris Ordinis nostri, omnibus, et singulis vtriusque sexus personis, vere pœnitentibus, et confessis, ac Sanctissima Eucharistia refectis, qui diebus Festis Beatissimi Patris Nostri Dominici, S. Petri Martyris, et Sanctæ Catherinæ de Senis, Ecclesias fratrum, seu Monialium Ordinis nostri, tam erectas, quam erigendas, vbiq. locorum existentes, a primis Vesperis, vsque ad occasum solis, cuiuilibet diei eorundem Sanctorum, singulis annis deuote visitauerint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, et hæresum extirpatione, Sanctæq. Matris Ecclesiæ Exaltatione, Deum precati fuerint; quo die prædictorum id fecerint, Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam benigne concessisse: quam etiam dicti Ordinis Monialibus concessit, si in loco ad Missam audiendam pro ipsis deputato (vt præfertur) orauerint.

3 Item Denuntiamus, a sacra Regularium Congregatione emanasse Decretum anno 1587. contra Regulares ad Urbem temere, leuiq. ex causa accedentes, absque eorum Superiorum licentia. Cuius tenor sequitur, et est talis. **Q**UONIAM nonnulli Regulares vagandi studio, siue dum imminentem admissorum criminum pœnam, ex suis Constitutionibus, aut alias debitam, sibi metuunt; falsa, et commentitia grauamina causati, non ad immediate sui Ordinis Superiores, scilicet, a grauamine Prioris ad Prouincialem, a Prouinciali ad Generalem, a Generali ad Protectorem; prout cuiusque Religionis constitutionibus disponitur: sed ad hanc Romanam Curiam, absque licentia, sæpius fugiunt, potius quam recurrant: ex quo Ordinum disciplina relaxatur; Prælati contemnuntur, et ipsi in dies audaciores euadunt: Placuit sacre

cræ Regularium Congregationi, ex ordine Sanctissimi, statuere ; vt si quis Regularium in posterum, temere, leuive ex causa, hanc Almam Urbem, seu Curiam, absque sui Superioris licentia, et supradicta forma prætermittit, adire præsumpserit ; ad suos eosdem Superiores, sæuiori pœna plectendus, remittatur.

in lic
tio licti
a male
ad
1.

4. Item denuntiamus, Sanctissimum D. N. Sixtum Papam V. edidisse Constitutionem contra illegitimos, legitimatos, criminosos, et reddendis rationibus obnoxios, ad aliquam Religionem transire volentes ; et contra Regulares, absque Superiorum licentia, de Prouincia in Prouinciam euntes, seu transmigrantes. Dat. Romæ Anno 1587. sexto Calen. Decemb. Et subinde edidisse aliam Constitutionem, seu Declarationem super Dubiis in priori Constitutione emergentibus, de Admittendis ad habitum, et professionem Regularibus. Dat. Romæ 1588. 12. Calend. Nouembris. Ac insuper edidisse aliam Constitutionem contra Clericos male promotos. Datam Romæ Anno 1588. Nonis Ianuarii. Quæ quidem Constitutiones multa continent, quæ Religiosos, et præsertim Prælatos ignorare, periculosissimum est. Idcirco omnes Prouinciarum, et Conuentuum Præsidentes curent diligenter eas penes se habere, et prouide considerare omnia in eis contenta ; ne quidquam a se, vel a suis subditis incaute prætereatur : sed omnino executioni singula mandentur.

5. Item Denuntiamus, eundem Sanctissimum D. N. præter nonnulla alia Festa, quæ iam in nostro Calendario habentur, statuuisse, vt omnes Ecclesiastici, siue seculares, siue regulares, teneantur : secunda die Aprilis recitare Officium de Sancto Francisco de Paula Confessore, sub Festo duplici. Item Sancti Antonii de Padua Confessoris, tertiadecima die Iunii, sub Festo duplici. Sancti Bonauenturæ Confessoris, die 14. Iulii, sub Festo duplici. Sancti Nicolai Tolentinatis Confessoris, die 10. Septembris, sub Festo duplici. Sanctorum Ianuarii Episcopi, et sociorum Martyrum, die 19. Septembris, sub Festo simplici. Et Sanctorum Placidi, et sociorum Martyrum, die 5. Octobris, sub Festo simplici. Vt patet per Diplomata Pontificia desuper expedita. Ideoq. moneamus, vt id vbique in nostro Ordine obseruetur : et in noua Breuiarii, Missalis, Calendarii, et Martyrologii impressione, suis locis præfata omnia Festa reponantur.

6. Item Denuntiamus, eundem Sanctissimum D. N. sua singulari benignitate, et clementia, ad humilem supplicationem Reuerendissimi Patris

Patris Generalis, instante etiam, et benigne fauente Illustrissimo, ac Reuerendissimo D.D. Cardinali Carrapha, nostri Ordinis Viceprotectore: remississe ad Ordinem, et in sinum Religionis quascumq. causas quibusuis Iudicibus, a sua Sanctitate extra Ordinem specialiter antea commissas; vt ab ipso Reuerendissimo Patre Generali cognoscantur, diffiniantur, et terminentur.

7 Item Denuntiamus, eundem Sanctissimum D. N. ad humilem supplicationem (vt supra) suppleuisse omnibus, et singulis defectibus, qui hucusque accidissent circa promotionem Magistrorum, Baccalaureorū, et Prædicatorum generalium: eo quod promoti essent, non seruata forma in nostris Constitutionibus præscripta. Absq. tamē præiudicio particularium iurium, vel priuilegiarum quarumcumq. Prouinciarum.

ORDINATIONES.

Ordinamus, vt ea, quæ ad Ecclesiam, et ad Diuinum pertinet cultum, summa diligentia vbique tractentur: Horæ Canonice suis temporibus decantentur: Matutinum tam hyberno, quam æstiuo tempore, statuta hora de nocte dicatur: In dicendis Psalmis debita pausa in medio cuiusque versiculi obseruetur: Altarium mappæ (quæ in singulis altaribus trinæ esse debent) necnon et strophiola, ac alia ad vsum altarium, et Sacerdotum deputata, sæpe lauentur; sintq. Corporalia, et Purificatoria alba, et nitida, et omnia denique in Ecclesiis nostris sint munda, eamq. redoleant puritatem, et sanctitatem, quam domum Domini decet.

Ordinamus, vt ceremoniæ omnes Ordinis nostri, tam in altari, quam in Choro, et in Diuino Officio conformiter, et vniformiter ab omnibus obseruentur; vt vnitatem quæ in verbis est seruanda, foveat etiã, et repræsentet vniformitas extrinsecus ab omnibus prospecta; et circa huiusmodi obseruantiam in suis Conuentibus diligenter inuigilent Prælati, Prouinciales vero in visitationibus negligentes puniant.

Ordinamus etiam, vt omnes Sacerdotes vbique in nostro Ordine post Missam dicant Euangelium, **I**N principio erat Verbum, et c.

Ordinamus, vti sæpe ordinatum fuit, vt in Sacro celebrando (etiam non sollempni, vel maiori) debeat accendi cereus in consecratione, et eleuatione sanctissimi Sacramenti, et aliquot ictibus capanulæ admoneri populus; et hoc vbique obseruetur, tollaturq. omnino abusus, et ne-

C gligen-

gligentia nonnullarum Prouinciarum.

Ordinamus etiam, et ab omnibus obseruari præcipimus id, quod alias ordinatum fuit; vt quilibet religiosus Ordinis nostri debeat quotidie audire, vel dicere Missam.

Ordinamus, et ordinando præcipimus omnibus, et singulis nostræ Religionis fratribus extra Ordinem commorantibus, in virtute Spiritus sancti, et sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto, necnon sub pœna excommunicationis late sententiæ, hac vna pro trina canonica monitione præmissa; vt infra spatiū vnus mensis ab harū notitia, Reuerendissimo Patri Generali, vel suo Prouinciali, seipso præsentare, et qua facultate, vel licentia extra Religionem commorentur, ostendere; ac eisdem in omnibus quæ iusserint, circa præfata parere teneantur. Mandantes admodum RR. PP. Prouincialibus, eorumque conscientias in diem Christi aggrauantes; vt consimiles extra Claustra nequaquam commorari permittant; nisi in Dei gloriam, et animarum salutem id cedere manifeste cognouerint: non obstantibus quibuscumq. licentiis etiam a Reuerendissimo Patre Generali, vel a generali Capitulo quomodolibet obtentis.

Ordinamus, et sub eodem formali præcepto, eademq. censura præcipimus omnibus, et singulis nostri Ordinis Professoribus, cuiuscumque gradus, dignitatis, et condicionis existat; vt qui apud se habent, vel apud quoscumque quomodolibet retinent, vel quempiam habere, vel retinere sciunt libellaria instrumenta, siue libellarios contractus, aut pecuniarum (vt fertur) inuestituras, siue nomine proprio, aut in propria persona, siue nomine alicuius Conuentus quouis modo factas, debeant, et teneantur infra spatium viginti quatuor horarum reuelare, siue respectiue consignare, et effectualiter tradere Priori, vel Præsidenti Conuentus; ne ob eorum ignorantiam, morte interueniente, Conuentus, et Religio detrimentum patiantur. Priores vero ipsi, vel Præsidentes teneantur huiusmodi scripturas sibi consignandas, in Archiuo Conuentus fideliter collocare, vt cum reliquis scripturis ad ipsum Conuentum pertinentibus diligenter conferuentur.

Ordinamus, et sub pœna grauioris culpe mandamus; vt Confellores Monialium, quascumque elemosynas pro Missis sibi datas, ac illarum numerum, infra vnus diei terminum ab earum receptione, Prælati suis manifestare teneantur.

Ordinamus, et inuiolabiliter obseruari præcipimus; vt fratres ad pœnas

penas grauioris culpe condemnati, in Conuentibus paruis minime assignentur, sed in magnis; vbi suas penitentias humiliter adimplere, et obseruantię regulari melius operam dare possint.

Ordinamus etiam, vt in posterum processus fratrum defunctorum comburantur; dummodo sine iustitię preiudicio circa eos, qui adhuc viuunt, fieri queat.

Ordinamus, vt nullus frater conuersus scapulari albo donetur, neq. Monialis conuersa velo nigro; sed omnes suo habitu contenti, religiose Deo viuant, et in sua vocatione maneant: rogātes Reuerendissimum Patrem Generalem (penes quem talis potestas solummodo residet) vt huiusmodi licentias in nulla vmquam Prouincia concedat, quandoquidem experientia ipsa compertū est, magna inde sequi inconuenientia.

Ordinamus (ad tollenda, et euitanda multa incommoda, quę in dies oriri cognouimus, ex eo quod nonnulli Societatem Sanctissimi Rosarii, et Sanctissimi nominis Dei, non ea qua decet consideratione, interdum fundant) vt deinceps nemini liceat pretextu cuiusuis facultatis, aut licentię, sub quibusuis tenoribus, et formis a Reuerendissimo Patre Generali, vel eius Vicario concessę, aut etiam concedendę, fundare, erigere, siue instituere easdem Societates, nisi mediante prædicatione ex obedientia sibi iniuncta; et consulto prius Patre Prouinciali, seu Præsidenti Prouincię, et Priore viciniore Conuentus Ordinis nostri pro tempore; et nihilominus numquam erigantur dictę Societates in locis in quibus circiter duo milliaria consimilis Confraternitas respectiue prius erecta fuerit, aut Religio nostra domum, siue Ecclesiam habuerit: atque fiat semper publicæ protestatio. Quod si contigerit aliquando, fratres nostros in tali loco, vbi fundantur prædictę Societates, vel circiter duo milliaria, Conuentum, vel Ecclesiam habere; ipso facto, ipsoq. iure huiusmodi Societates ad nostrum Ordinem (a quo inuentę, et institutę fuerunt) cum omnibus bonis ad eas quomodolibet pertinentibus, illico absque alia declaratione deuoluentur. Si quis vero, cuiusuis licentię prætextu oppositum fecerit, facultate concionandi, et easdem Societates fundandi, perpetuo sit priuatus; et nihilominus totum sit irritum, inane, et nullius roboris. Ad Prouinciales vero, et Priores respectiue pertinebit, diligenter animaduertere, an expediat huiusmodi Societates tali in loco, et in tali Ecclesia erigere, et fundare; neque permittere, vt quidquam minus conueniens fiat.

Ordinamus, vt in qualibet Prouincia, et in quolibet Conuētū inuio-

labiliter seruentur nostræ Constitutiones, siue Declarationes, et Ordinationes insertæ in nostris Constitutionibus Dist. 1. cap. 13. circa numerũ Patrum a consilijs, vt non excedant numerũ duodenarium, et habeãt ætatem, et conditiones requisitas: cassantes, et annullantes præsentis decreto omnes, et singulos in quouis Conuẽtu nostri Ordinis supra dictũ numerum quomodolibet creatos; et mädantes Prælatis sub pœna absolutionis ab officijs, ipso factõ incurrenda; vt neminem vltra dictum numerum ad consilium vocent, vel admittãt: et si secus fiat, totum sit irritũ, et inane; et in ipsis consilijs decreta nullius sint roboris, vel valoris.

Ordinamus in Prouincia nostra Aragoniæ, ad eius petitionem; vt ad Magisterii gradum nullus admittatur, qui saltem per triennium sacram Theologiã in aliqua Ordinis Vniuersitate professus non fuerit: legentes autem in Vniuersitatibus sæcularium, ob huiusmodi lecturã non admittantur ad gradus; et in posterum graduati non gaudeant priuilegijs in eadem Prouincia, nisi ab illa fuerint petiti, et acceptati.

Ordinamus pro nostris prouincijs Indiarum, vt Procuratores nullatenus ab illis pro negotijs tractandis mitti possint in Hispaniam, vel ad Urbem Romanam, nisi a Capitulo Prouinciali vna cum Diffinitoribus (causa cognita) instituantur; vel si aliqua specialis necessitas expostulerit, vt extra Capitulum aliquando id fiat, saltem a Patre Prouinciali simul cum quatuor antiquioribus Prouinciæ Patribus (qui in Capitulo Prouinciali vocem habere solent) deputentur, deferantq. secum huiusmodi Procuratores testimoniales litteras, non solum a Prouinciali; verum etiam a Diffinitoribus, vel a prædictis Patribus simul congregatis subscriptas, necnon et in scripturis authenticis negotiorum pertractandorum causã, pro quibus destinati fuerint; vltra quæ negotia nihil aliud eis liceat procurare, vel attentare. Committentes, necnon et præcipientes Adm. R.R. P.P. Prouincialibus nostrarum Prouinciarum Hispaniarum, et R.R. P.P. Prioribus Conuentuum eorundem (præsertim verò nostri Conuentus Sanctæ Mariæ de Atocha Matriti, et Sancti Pauli Hispalensis) vt aliter institutos Procuratores, et litteras patentes (vt præferatur) non solum a Prouinciali, verum et a Diffinitoribus in Capitulo Prouinciali, vel extra Capitulum in casu necessitatis, a quatuor antiquioribus Prouinciæ Patribus subscriptas, et causã negotiorum in scripturis authenticis minime habentes, nullatenus admittant, vel aliqua negotia pertractare permittant, sed ad suas prouincias quam citius redire compellant.

Item quoniam in Capitulo Salmanticensi 1551. facta fuit taxa contributionum a qualibet Prouincia Reuerendissimo Patri Generali solvendarum, et subinde multæ ex ipsis Prouinciis fuerunt destructæ, et aliæ ita ad pauperiem, ob bella, et hæreses redactæ, vt soluere nequeant, et nihilominus expensæ in dies in immensum crescunt: idcirco, vt ipse Reuerendissimus Pater Generalis, cum sua familiâ se sustentare queat, ordinamus, et precipimus, vt de cetero infra scriptæ Prouinciæ soluant quotannis eidem Reuerendissimo Patri Generali contributionem iuxta infra scriptam taxam. Videlicet.

- Prouincia Hispaniæ, Scuta aurea triginta quinque.
- Prouincia Lombardiæ, Scuta aurea triginta quinque.
- Prouincia Romanæ, Scuta aurea duodecim, et libras duodecim; præter ea, quæ soluere debet pro Conuentibus Vicariæ Romanæ sibi commissis.
- Prouincia Theutoniæ, Scuta aurea decem.
- Prouincia Poloniæ, Scuta aurea duodecim.
- Prouincia Græciæ, Scuta aurea sex.
- Prouincia Aragoniæ, Scuta aurea viginti.
- Prouincia Trinacriæ, Scuta aurea viginti quatuor.
- Prouincia Portugalliæ, Scuta aurea quindecim.
- Prouincia Bethicæ, Scuta aurea triginta.
- Prouincia S. Thomæ, Scuta aurea decem et octo.
- Prouincia Calabriæ, Scuta aurea decem et octo.
- Prouincia Sanctæ Crucis Indiarum Occidentalium, Scuta aurea octo.
- Prouincia Sancti Iacobi de Mexico, Scuta aurea triginta.
- Prouincia Sancti Io. Baptistæ del Perù, Scuta aurea quinquaginta.
- Prouincia Sancti Vincentii de Chiapa, Scuta aurea sexdecim.
- Prouincia Sancti Augustini de nouo Regno, Scuta aurea sexdecim.
- Prouincia Sancti Dominici, Scuta aurea duodecim.
- Prouincia Sanctæ Catherine Martyris del Quito, Scuta aurea decem.
- Prouincia Sancti Laurentii del Chile, Scuta aurea sex.
- Congregatio Ragusina, Scuta aurea quatuor.
- Congregatio Indiarum Orientalium, Scuta aurea sex.
- Vicaria Sancti Petri Martyris, Scuta aurea octo.

Aliæ vero Prouinciæ, Congregationes, Vicariæ, et Conuentus Sancti Petri Martyris de Neapoli, aliq. Conuetus, et Monasteria soluant vt antea, iuxta ordinata in aliis Capitulis.

14
SEQUENTES ORDINATIONES

Apostolica auctoritate fuerunt confirmatae per Illustrissim. & Reuerendiss. D. D. Cardinalem Carrapham, nostri Ordinis Viceprotectorem, specialem super hoc per Breue Apostol. potestatem, & facultatem habentem. Tenentq. vim, & robur perpetuae Constitutionis.

QUONIAM multoties recipiuntur ad habitum, et ad professionem Nonicii, qui non solū Latinam linguā non calleant, verum nec expedite legere sciunt; quo fit, vt in sua ignorantia remanentes, nullos progressus in litteris faciant, et nec Religioni inservire, vt tenentur, postmodum possint, quin ad sacros ordines magno cū Religionis dedecore, ac Dei offensa postea mittuntur: idcirco huiusmodi abusui, quantū cum Domino possumus, occurrere volētes; Ordinamus, vt nullus ad habitū clericalem in nostro Ordine recipiatur, vel ad professionē admittatur; nisi sciat distincte, et clare legere; bene intelligat, ac declaret ea quæ legit, et Latinam calleat linguam. Et si qui hucusq. recepti sunt, qui, vt præfertur, non sint instructi; eis tamdiu prorogetur professio, quamdiu perfecte didicerint. Præcipiētes in virtute Spiritus sancti, et sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto, et sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vna hac pro trina canonica monitione præmissa, omnibus, et singulis Prælati, et Examinatoribus eorum, qui ad habitum, vel ad professionem admitti erunt; vt neminem penitus admittant, vel in Capitulo scaturibus proponant, nisi (vt supra) sit sufficienter instructus, habeatque alias condiciones requisitas iuxta nostras Constitutiones, et Bullam Sanctissimi Domini nostri Sixti Quinti.

Item ordinamus, et sub eodem formali præcepto, eademq. excommunicationis latæ sententiæ pœna, præcipimus omnibus, et singulis nostri Ordinis Prælati, vt non mittant quempiam ad ordines, nisi probatę sit vitæ, et bonorum morum, ac in litteris sufficienter instructus; et præsertim nisi distincte, et clare legere sciat; et ea quæ legit, bene intelligat; vt supra dictum est. Quicumque vero aliquos ordines sacros susceperunt, et distincte legere nesciunt; presenti decreto interdicuntur, ac prohibentur

tur, ne in ipsis ordinibus ministrent, quo ad usque didicerint: precipientes omnibus Prelatis, sub poena absolutionis ab officio, ipso facto incurrenda, ne eos intetum ministrare permittant. Dedecet enim summo pete, vt huiusmodi ignari publice in Ecclesia talibus fungantur muneribus; cum id sine secularium admiratione, et scandalo fieri nequeat.

Item sub eodem formali precepto, eademq. excommunicationis late sententia poena, ordinamus, et precipimus; vt Prelati neminem mittant ad ordines, nisi prius scriptura approbata, et fidem faciente iuridice, illis constiterit, eum legitimam aetatem habere; iuxta sacri Concilii Tridentini decreta. Si vero post publicationem Constitutionis Sanctissimi Domini nostri Sixti Quinti, contra male promotos, aliquem ante legitimam aetatem ad ordines accessisse repererint; in censuras, et poenas in eadem Constitutione statutas, incidisse declarent.

Item ordinamus, et sub eodem formali precepto, eademq. censura precipimus; vt nullus titulo, vel officio Prædicatoris donetur, seu Prædicator instituat, nisi saltem per integrum triennium sacram Theologiam audierit, et per quinque deputatos Examinatores (qui et ipsum concionantem audierint, vt nedum de litteris, et moribus verum, et de eiusdem aptitudine ad concionandum iudicium facere possint) approbatus, et idoneus iudicatus fuerit. Similiter nullus admittatur ad secularium, vel fratrum confessiones audiendas; nisi pariter per quinque Examinatores (vel vbi tot non suppetant idonei Patres) per tres ad minus, sufficiens iudicatus fuerit. Præcipientes ipsis, siue Prædicatorum, siue Confessorum Examinatoribus respectiue, sub eodem formali precepto, eademq. Excommunicationis late sententia poena; vt per vota secreta, sua dantes suffragia, secluso omni particulari affectu, insufficientes excludant, et sufficientes, ac idoneos tantummodo admittant.

~~Item ordinamus, et sub poena suspensionis ab officio Prædicationis per decennium; ipso facto incurrenda, mandamus; ne quipiam loca, in quibus concionari debeat, petere, aut procurare audeat, vel præsumat; sed a Prouincialibus maturo consilio dentur, et mittantur Prædicatores.~~

Item ordinamus, vt qui in posterum ad poenas gratioris culpa obdelicta condemnabuntur, neque ad Prælaturas, neque ad gradus quoscumque assumi possint; nisi forte post multos annos ex ante acta vita, mores, et instituta in melius commutasse, ita clare constiterit, vt merito non indigni aliqua gratia censerentur. Ad Prælaturam tamē non ita de facili admittendi erunt.

Ordi-

Ordinationes pro Studiorum reformatione.

Quoniam Religionis nostrę in signo decus, et singulare ornamentum, priuorum Patrum experientia, comprobauimus esse litterarum studium, quod animos non tantum lectissimis artibus illustrat, verum et voluntatem religiosis moribus, ac virtutibus condecorat: Ea propter, ne nostri Ordinis maximus splendor omnino obtenebrescat; Ordinamus, et ordinando precipimus, in virtute Spiritus sancti, et sanctę obedientię, sub formali precepto omnibus, et singulis R.R. P.P. Prouincialibus, et Vicariis, et omnibus alijs, qui studiorum prouisioni intendunt; vt Lectores, et studiorum officiales, non nisi per vota secreta admittant, et promoveant; eorum conscientias, et R.R. P.P. Diffinitorum, ac omnium quorum intererit, in diem Christi aggrauantes; necnon et sub poena excommunicationis latę sententię, hac vna pro trina canonica monitione, premissa, eis precipientes, vt semoto omni particulari affectu, solū Deum, et Religionis beneficium sibi proponentes, et ante oculos habentes, non nisi idoneos, atque ad huiusmodi onera aptos, qui sua doctrina discipulis plurimum prodesse possint, admittant. Confirmantes, et omnino obseruari volentes in omnibus Prouincijs; (etiam in Prouincia vniuersę Lombardię) id quod multoties in pluribus Capitulis generalibus ordinatum fuit; nempe, vt Regentes, Baccalarei, Magistri studentium, alijq. Lectores, non iure antiquitatis assumantur, nec ad determinatum tempus assignentur; sed habita ratione ingenii, sufficientię, doctrinę, ac morum, aptiores, et magis idonei eligantur; ita tamen, vt suppositis æqualibus meritis, et æquali sufficientia, nemini fiat iniuria. Idem etiā obseruandum erit circa studentes in eorum receptionibus, et admissio-

ibus. Ordinamus etiam, et sub eodem formali precepto mandamus (vt alias etiam ordinatum, et mandatum fuit) vt Lectores decem, vel ad minus nouem menses in quolibet anno legant, sitq. lectiois quoridianę spatium circiter vnius hore, vt in pluribus. Et qui notabiliter in hoc defecerint, Lectoris officio omnino priuentur.

Ordinamus etiam, et sub eodem formali precepto, studentium Magistris, et alijs Lectoribus precipimus; vt qualibet hebdomada, tres circulos, et disputationes ad minus (iuxta antiquissimam, et laudabilem nostri Ordinis consuetudinem) habere procurent; quibus oēs discipuli
 studen-

studētes, et studii officiales respectiue, indispēnsabiliter interesse debeāt.

Ordinamus etiam (ne tēpus frustra conteratur, minus vtilia pertrahendo) atque sub eodem formali præcepto, Regētibus, et Baccalaureis studiorum, præcipimus; vt infra quattuor annos, totam Angelici Doctoris nostri Sācti Thomæ Summam, ambo simul, perlegisse teneantur, materias omnes difficiliōres, et magis necessarias explicando; opinionū vero superfluitates, et alia minus necessaria refecando, et prætermittendo: et vt id commodius obseruari possit, nullaq. occasione studium impediatur; monemus Lectores omnes, et studiorum officiales, ne tēpore lectionum quouis modo, etiam prætextu Prædicationis, lectiones prætermittant; studentes etiam, quousque studium non compleuerint, ex professo lectionis tēpore, Prædicationi non vacent: alioquin ipso facto priuilegiis, et gratiis studentium priuentur; et a studiō expellantur.

Ordinamus etiam, vt studentes formales quadriennales, vel (vbi id commode obseruari non poterit) ad minus cum Superiorum dispensatione, triennales sint; nec ad Lectoratus gradum promoueantur, nisi (iuxta id quod superius ordinatum fuit) totam Diui Thomæ Summam prius integre audierint.

Ordinamus etiam, et sub eodem formali præcepto præcipimus; vt nullus ad Collegia, vel studia generalia admittatur, nisi a Patribus Conuentus in quo vixit, et a quo discessit, doctrinæ, et morum fidem; ac testimonium secum detulerit.

Ordinamus denique, et sub eodem formali præcepto mandamus; vt nullus in posterum, a Prouincialibus, vel a Prouinciis, neque in Magistrum, neque in Baccalaureum, neque in Prædicatorem generalem petatur, nisi sufficienter legerit, predicauerit, actusq. legitimos fecerit, ac omnes denique condiciones requisitas (iuxta nostras Constitutiones, et ordinationes Capitulorum generalium) obseruerit; locusq. vacauerit. Admittentes tamen, et (vt supra) præcipientes; vt statibus æque merito, et æquali sufficientia; antiquiores anteponantur; et nulli sit iniuria, sed iustitia distributua in omnibus obseruetur. Statuentes etiam, et inuolubiliter obseruari volentes; vt semper in petitionibus ipsorum graduatorum, vel Prædicatorum generalium, exprimat, quot annos, et quibus in locis illi, qui petiti fuerint, Lectioni, aut Prædicationi operam dederint; et an maiores æque bene meritos habeant; et an pro huiusmodi gradibus, vel muneribus vātet locus: secus petitiones nullatenus admittantur.

ADMONITIONES.

Admonemus omnes, et singulos, prohibitum fuisse a Gregorio fel. record. Papa XIII. sub præcepto obligante ad peccatum mortales; ne Prælati Ordinis nostri vllam gratiam concedât, vel pœnas aliquas alicui religioso remittant, ad instantiam quarumcumq. personarum extra nostrum Ordinem constitutarum: et fratres nostri hac via, et his mendicatis fauoribus aliquid sibi procurantes, ad omnia, et singula in nostro Ordine consequenda, eodem Apostolico decreto perpetuo inhabiles redduntur; vt patet per Breue Apostolicum desuper confectum, cuius tenor sequitur, et est talis. Videlicet.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad futuram rei memoriam. Cum nihil magis religiosorum statum perturbet, quam fauorum, et suffragiorum sæcularium nuncupatio, et conquisitio; quibus superiorum æqua mens, qua pro meritis suorum vniciq. subditorum tribui debet, peruertatur. Nos malum hoc ab Ordine fratrum Prædicatorum, cuius prosperum regimen, et incrementum ad Ecclesię Sanctę vtilitatem sinceris exoptamus affectibus, pro nostra pastorali sollicitudine propellere summopere cupientes. Dilectis filiis Magistro Generali, ac Prouincialibus, et reliquis eiusdem Ordinis Prælati, nunc, et pro tempore existentibus, per Apostolica scripta, et in virtute sanctę obedientię precipimus, et mandamus; ne ad instantiam, et requisitionem quarumcumq. personarum, tam laicarum, quam ecclesiasticarum, extra supradictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacũq. sæculari dignitate, et excellentia, etiam Ducali, Regali, et Imperiali fulgentium; cuius dicti Ordinis religioso vllam gratiã concedere, vel pœnas aliquas remittere audeant, seu præsumant: quinimo quoscũq. eiusdem Ordinis fratres, et religiosos, qui contra decreta suarum Constitutionũ hac via, et iis medijs, per mendicatos fauores, et suffragia, aliquid sibi procurauerint; ad talia, et similia, et etiam maiora in eodẽ Ordine consequenda, Apostolica auctoritate, tenore præsentium, inhabilitamus, ac inhabiles perpetuo fore, et esse; neque per quoscũq. nisi per Sedem Apostolicam, rehabilitari, aut cum ipsis desuper dispensari posse; sicq. per quoscũq. Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales; sublata eis, et eorum cuiuslibet; quauis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate; iudi-

cari, et definiri debere; irritum quoque, et inane quicquid contra præmissa aliquibus concessum fuerit, aut super his a quoquam contigerit attentari, auctoritate, et tenore predictis decernimus, et declaramus. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgitiis, et litteris Apostolicis quomodolibet concessis, confirmatis, et innouatis (quibus omnibus eorum tenore, ac si de verbo ad verbum infererentur, presentibus pro sufficienter expressis, habentes, ad earundem presentium, effectum specialiter, et expresse derogamus) ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod presentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius publici Notarii subscriptis, et sigillo dicti Magistri Generalis obsignatis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die primo Iunii, M D LXXX. Pontificatus nostri anno nono. *Ces. Glorietius.*

Quamobrem singulos nostri Ordinis Prælatos admonemus, ut scientes se non posse absq. peccato mortali quicquam ad seclularium, vel personarum extra nostrum Ordinem constitutarum instantiam, concedere, abstineant, neque id vniquam faciant. Subditos vero pariter monemus, ut considerantes inhabiles fieri ad omnia munera, caueant ne aliquid huiusmodi via procurent. Et quoniam ex huiusmodi mendicatis suffragiis, Religionis ruina patenter exoritur, ac eiusdem status, et tranquillitas summopere perturbatur, iustitia distributiua intercluditur, ambitioni via aperitur, et demum indigni (vtpote audaciores) virtuosis, ac benemeritis (in sua humilitate, et modestia manentibus) interdum præponuntur; idcirco, ad huiusmodi abusus tollendos, in virtute Spiritus sancti, et sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto, necnon sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vna hac pro trina canonica monitione præmissa, præcipimus; ne quispiam, directe, vel indirecte, per se, vel per alium, pro se, vel pro aliis eiusdem Ordinis Professoribus, apud personas extra nostrum Ordinem constitutas, et de nostro Ordine non assumptas, gratiam aliquam, vel pœnarum remissionem, a Prælati nostri Ordinis obtinendam procuret. Et sub eodem formali præcepto, eademq. censura prohibemus; ne aliquis hunc ad effectum munera aliqua seclularibus spondeat, vel exhibeat.

Admonemus etiã, et inuiolabiliter ubiq. in nostro Ordine obseruari

D ij præci-

precipimus, Ordinationes Apostolica auctoritate roboratas, et confirmatas a Sanctissimo Domino nostro, viuæ vocis oraculo facto Illustrissimo, et Reuerendiss. D. D. Cardinali Alexandrino nostri Ordinis Protectore vigilantissimo: quarum quidē tenor sequitur, et est talis. Videlicet.

N. O. S. Frater Michael Bonellus, miseratione Diuina tituli Sanctæ Mariæ supra Mineruam S. R. E. Presbyter Cardinalis Alexandrinus nuncupatus, totius sacri Ordinis fratrum Prædicatorum Protector, Vniuersis, et singulis præsentibus nostras litteras lecturis, inspecturis, et auditoris; salutem in Domino sempiternam, ac eisdem præsentibus fidem adhibere indubiam. Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, qualiter Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus noster, Dominus Sixtus, Diuina prouidentia Papa Quintus, viuæ vocis oraculo nobis facto, die 22. Augusti, anni M. D. LXXXVIII. Apostolica auctoritate corroborauit, decreuit, et præcepit perpetuis temporibus obseruanda in vniuerso Prædicatorum Ordine infra scripta, pro regulari obseruatione valde necessaria, et eiusdem Ordinis multis, et antiquis Ordinationibus nimis conformia.

Primo, de cetero Nouicii, qui in minoribus Conuentibus habitum Religionis assumpserint, ad Conuentus maiores, et religiosos transmittantur, vbi in Dormitorio communi, cum debita clausura, et saltim in numero senario, possint educari sub Magistro discreto, et religioso. Quod si aliquis Prælatus in posterum professionem alicuius Nouicii recipere præsumserit, qui iuxta tenorem huius Decreti non fuerit institutus, et educatus, vel intra mensem (vt dictum est) scienter Nouicium non transmiserit ad Conuentum, in quo religiose iuxta dicta instituat; ipso facto sit excommunicatus, et a gradu, et officio Ordinis indispensabiliter priuatus.

Vt autem Ordinatio ita debite obseruetur, præcipitur in virtute Spiritus sancti, et sub sanctæ obedienciæ præcepto formali, Prouincialibus, seu Vicariis; quod in suis Prouinciis, vel Congregationibus, infra spatium duorum mensium, a notitia præsentium, Conuentus aliquos religiosos designent, ad quos transmittantur, qui in minoribus, et non aptis pro illorum institutione sunt vestiti: Vbi annum probationis peragent, et suo tempore professionem facient, pro illis tamen Conuentibus, in quibus habitum ordinis susceperunt. Et sic professi, ab illa religiosa, vel consimili societate, et a cura Magistrum Nouiciorum, non amoucantur, ad minus post biennium integrum ab emissâ professione.

Secundo, præcipitur sub pœna absolutionis ab officio ipso facto incurrenda; ne Prior Prouincialis, seu Conuentualis, possit ad nutum instituire Magistrum Nouiciorum, vel iam institutum, ab officio amouere, nisi ex consensu Distinctorum, si de hoc in Capitulo Prouinciali tractetur; vel ex consensu maioris partis Patrum a consiliis illius Conuentus, in quo Magister Nouiciorum est instituendus; vel amouendus, quando de hoc extra Capitulum tractatur.

Tertio, Sanctitas sua confirmat, et ordinat (si opus est) de nouo id, quod alias in supradicto Ordine fuerat ordinatum; videlicet quod non fiat ædificium aliquod, vel constructio notabilis, in aliquo Conuentu (notabilis, inquam, respectiue, iuxta Conuentus quantitatem, et qualitatem) nisi de assensu maioris partis Patrum a consiliis, et cum consilio Peritorum, simul etiam cum licentia Prouincialis. Rursus quod ab vno Prelato inceptum est, subsequens prosequatur, ita quod non possit noua ædificia inchoare, si priora non sunt finita. Præcipit etiam, id ipsum seruari in monasteriis Monialium, ita quod non possint Priorissæ ædificiũ notabile inchoare sine assensu maioris partis Matrum a consiliis, simul cum licentia Prouincialis, et cum Peritorum consilio; nec vllõ modo ædificia noua aggrediantur, quousque iam inchoata sint finita. Prior autem Prouincialis, vel Conuentualis, vel Priorissa, si contra ordinationem istam agere presumpserit, ipso facto excommunicationem incurrat, et officio priuetur. Vi autem huius prohibitionis non interdicitur, quin possint inchoari illa ædificia, quibus reparatur aliqua pars Conuentus collapsa, vel quæ in ruinam tendit; nec etiam ædificia illa, quæ extra Conuentus sunt, quibus annui redditus crescunt, et promouentur; dũmodo in istis etiam constructionibus (si sint notabiles) præcedant consensus, et licentia iuxta supradicta. In quorum omnium, et singulorum eadem, ac testimonium; præsentis nostras litteras, de ordinatione eiusdem Sanctissimi Domini nostri fieri fecimus, illasq. manu propria subscripsimus, sigilliq. nostri, quo in talibus vrimur, impressione communiri mandauimus. Datum Romæ in Palatio nostræ solitæ residentie. Anno Domini M D LXXXVIII. Die vero 27. Augusti, Pontificatus eiusdem Sanctissimi Domini Sixti Papæ V. anno IIII.

E. Michael Bonellus Card. Alexand. Protect. Ordinis.

Georgius Palearius Secretarius.

D iij

Admonemus pariter omnes, et singulos nostri Ordinis Professores, qualiter generale Capitulum anno Domini 1564. Bononiæ celebratum, innixum Decretis Sacri Concilii Trid. incorporauit, et applicauit, seu potius incorporata declarauit, omnia bona immobilia, et quoscūq. annuos redditus, seu proventus quorumcumq. fratrum, et vndequaque aduenientium, illis Conuētibus nostri Ordinis, quibus secundum iura, et nostras Constitutiones, debentur. Ideirco huiusmodi bona, et annui redditus debent a Conuentuum Procuratoribus, seu Syndicis, et non a fratribus singularibus exigī; vtpote bona ipsorum Conuentuum, et non proprietates particularium fratrum. Sicut et nos, eiusdem sacri Concilii Tridentini statuta sequentes, præcipimus; ne pro libito valeant fratres tales exigere census, sed Syndici, vel Procuratores nomine Conuentuum eos accipiant; et deinde Prælati, pro cuiusq. indigentia, et necessitate, in ipsorum fratrum religiosos vsus in totum, vel in partem, eosdem census, seu redditus conuertere poterunt.

Admonemus etiam, qualiter Sanctissimus D. N. Sixtus Papa V. sua Constitutione, et Declaratione, superiori anno edita, prohibuit expressè, ne quis Regularis ex vna Prouincia ad aliam Prouinciam, seu de vno in aliud eiusdem Prouincię monasterium, tam sui, quam alterius Ordinis transeundo, etiam in itinere, intra aliquod monasterium, domum, vel locum ad habitandum; vel tamquam hospes, recipi, aut ad modicum tempus, diuertere possit, nisi a Superiore eius loci vbi residet, expressam licentiã discedendi in scriptis deferat, et exhibeat; vel nisi ita cognitus sit, vt de eius persona nullus omnino dubitationi, aut suspitioni locus relinquatur. Et illi, qui huiusmodi Regulares sine licentiã in scriptis aduenientes, etiam pietatis, vel hospitalitatis prætextu receperint; eo ipso ab eodem Sanctissimo Domino nostro priuantur, et in perpetuum priuati declarantur voce actiua, et passiua; necnon officiis, gradibus, honoribus, et dignitatibus quibuscumque, per eos obtentis; et inhabiles fiunt, incapacesque ad illa, et quæcumque alia in posterum obtinenda: præter id, quod prius multoties ordinatum fuit, in multis generalibus Capitulis in nostro Ordine; ne aliqui fratres absque licentiã aduenientes, a Prælati recipi, vel detineri vlllo modo possint, nisi in carceribus, vt puniti ad suos Conuentus, vel Prouincias remittantur; quod quidem mandatum fuit omnibus Prælati, et Præsidentibus, sub pœna absolutionis ab officio: prout etiam præsentī Decreto omnibus, et singulis Prouinciarum, et Conuentuum Præsidentibus, in virtute Spiritus sancti, et

Admonemus omnes, et singulos fratres ex prouinciis Indiarum aduenientes, vt rationem semper habeant Breuis fel. recor. Pii Papæ III. die XII. Augusti M. D. LXII. editi, cuius tenor talis est. Mandamus sub pena excommunicationis latæ sententiæ, per contravenientes eo ipso incurrenda, quod nullus cuiusuis ordinis frater, siue religiosus, cuiusuis dignitatis, status, gradus, vel conditionis existat, ab Indiis, aliisque partibus rediens, pecunias, ultra quam viatico suo verisimiliter necessariæ fuerint, asportare præsumat; omnesque pecunias per eos asportandas, antequam nauis ascendat, Superiori suo in partibus illis exstanti, denuntiare, et ostendere, litterasq. taxationis viatici huiusmodi ab eo recipere teneantur.

COMMISSIONES.

Committimus Reuerendissimo Patri Generali, eumq. obnixè rogamus, vt omnem adhibeat diligentiam, quatenus Breuiarium, Missale, Martyrologium, et Calendarium perpetuum nostri Ordinis, bene correctam imprimantur, et præsertim Calendarium perpetuum opera Patris F. Ioannis de Vrduña, anno elapso 1588. Venetiis impressum corrigatur, quantum ad Festa Sanctorum Blasii, Cathedræ S. Petri, Sancti Georgii, Sancti Ludouici, et Sancti Alexii; quæ non debent celebrari sub Festo duplici, vt ibi habetur: sed Festum Sancti Alexii sub Officio trium lectionum, alia vero sub Festo simplici celebrari debent, vt supra declaratum est.

Committimus eidem Reuerendissimo Patri Generali (sicut alias etiam commissum fuit) vt in uisitatione Vicariæ Sancti Petri Martyris, si eam titulo Prouinciæ dignam inuenerit, et pro sua prudentia expedire iudicauerit, in Prouinciã eam erigere; et eius Vicariam titulo Prouincialis donare debeat.

Committimus etiam eidem Reuerendissimo Patri Generali, vt particularia Officia Sanctissimi Rosarii, ac etiam Coronæ Domini, a diuersis eruditis Patribus nostri Ordinis compositas diligenter examinari faciat; et quod magis approbatum fuerit, a Sanctissimo Domino nostro confirmari procuret; et Breuiario, ac Missali Ordinis inseri, et ab omnibus recitari mandet.

Committimus Adm. R. P. totius Ordinis Procuratori, vt ad Dei gloriam, et nostri Ordinis decorem, summa diligentia procuret, vt gra-

uissimum negotiūm Canonizationis Beati Hyacinthi Confessoris, discipuli gloriosissimi Patris nostri Sancti Dominici; necnon et Canonizationis Beati Ludouici Beltran, ad debitum finem, Deo adiuuante, perducatur. Prior vero Conuentus Cracouiens. in cuius Ecclesia corpus præfati B. Hyacinthi quiescit; et Prior Conuentus Valentini, in cuius Ecclesia corpus prædicti B. Ludouici residet, hoc idem promouere; et miracula, quibus huiusmodi Sancti iugiter coruscant, scribere, vel scribentes deputare, satagant.

Committimus omnibus Prouincialibus, et Prouinciarum, seu Congregationum Præsidentibus, vt quoscumq. fratres Germaniæ inferioris in eorum Prouinciis, vel Congregationibus commorantes, ad suā præfata Prouinciam inferioris Germaniæ, a qua bellorum, et perturbationum occasione discesserunt, omnino redire cogant; quandoquidem Dei benignitate, Prouincia ipsa suæ iam quieti fere est restituta; et pro animi gratitudine, et charitatis debito, debent illius filii ad illam quam citius reuerti, et eiusdem restaurationem, et augmentum totis viribus procurare: quod etiam eis, et unicuique eorum præcipimus in virtute Spiritus sancti, et sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto, assignantes ipsis terminum octo mensium ad summum, intra quorum spatium Adm. R. P. Prouinciali dictæ Prouinciæ se præsentare teneantur; vt eisdem de Conuentibus in eadem Prouincia prouideat.

Committimus eisdem Prouinciarum, et Congregationum Præsidentibus (vt alias etiam commissum fuit) vt alicui erudito, et præstanti viro ex sua Prouincia iniungant, vt quæ in suis Prouinciis, aliquando contigerunt, et contingunt, scribat; maxime Martyrum, et Fidem intrepide prædicantium, ac pro ea pugnantium; vt omnibus a Patre Generali receptis, vniuersalem quandam memoriam rerum omnium Ordinis componere faciat.

REVOCATIONES.

Reuocamus omnes licentias a Reuerendissimis Generalibus, vel a quibusuis Prælati Ordinis cuiuscumq. concessas; vt illorum quis absoluere, vel absolui possit a casibus in nostro Ordine Prælati ordinariis reseruatis; ac etiam de pecuniis expendendis, vel penes se retinendis; et de redditibus habendis, vel exigendis; necnon de Cameris, et officiis perpetuis, et omnes assignationes

E perpe-

perpetuas, cum clausulis, quod nullus inferior, et c. Item omnes licentias equitandi præsertim per ciuitates; et administrandi bona consanguineorum, vel quorumcumque secularium, et de ingressu cellarum; et generaliter omnes, et singulas licentias, quæ regulari obseruantia quomodolibet repugnare videntur.

Reuocamus etiam omnes dispensationes, et licentias cuiuscumque concessas, de non facienda hebdomaria; statuentes, vt huiusmodi onus omnes subeant, exceptis dumtaxat Magistris in sacra Theologia, Baccalaureis, Lectoribus actu legentibus, Prædicatoribus actu prædicantibus, et Patribus, qui fuerunt Prouinciales; vel qui ob decrepitam ætatem, merito excusantur.

CONCESSIONES.

Concedimus omnibus Prouinciis Hispaniarum, vt ad euitandas expensas, et incommoda, possint pro hac vice tantum, intermedia Capitula (si illis videbitur) intermittere, quandoquidem ad Capitulum generale, non sine maximis expensis, se contulerunt Prouinciales, et Diffinitores.

Concedimus Prouinciæ nostræ Aragoniæ, vt in Ecclesia S. Domini Maioricarum Festum S. Eunofrii sub Festo duplici celebrari possit, cum ibi eiusdem Sancti reliquiæ habeantur, magna cum populi veneratione.

Concedimus omnium Conuentuum, et domorum nostri Ordinis Præsidentibus; vt Sanctissimi Rosarii, et Nominis Dei Societates ingredi petentes, in libro ad hoc deputato scribere, Rosaria benedicere, et Mysteria exponere; et in eorum absentia aliquem probatæ vitæ, et grauem Patrem Sacerdotem, qui id muneris exerceat, instituere possint. Idem etiam concedimus Patri Sacristæ maiori cuiuscumque Ecclesiæ nostræ.

ACCEPTATIONES.

In Prouincia Hispaniæ acceptamus Conuentum, seu Collegium Sancti Thomæ Matriti, ratumque, ac firmum habemus, sub cura, et regimine Adm. R. P. Prouincialis eiusdem Prouinciæ.

In Prouincia Tholosana acceptamus, et si opus est, confirmamus, et approbamus nouum Monasterium de Rosario, in ciuitate Agennæ.

nensi, sub cura, et regimine Adm. R. P. Prouincialis eiusdē Prouinciæ.

In Prouincia Regni acceptamus Domos Aquarii, sub titulo, et inuocatione Sanctæ Mariæ Rosarii, atque Annuntiatae. Et Terræ Pollæ, sub titulo Sanctæ Mariæ Sanitatis.

In Prouincia Aragoniæ acceptamus, atque erigimus in Conuentum, et Prioratum Domum nostram de Manachor, insulæ Maioricarum, in Regno Valentia, sub inuocatione Sancti Vincentii de Ayodar; cui etiã in Priorem præfigimus, et instituimus R. P. F. Iulianum Abrã Magistrum, qui in eiusdem fundatione plurimum laborauit; eidem tribuentes omnem facultatem, atque auctoritatem in spiritualibus, et temporalibus, quam ceteri Priores in nostro Ordine, et in eadem Prouincia habere solent, et c. In eadem Prouincia acceptamus, atque erigimus in Conuentum Domum nostram de Almenara, sub titulo, et inuocatione Sanctissimæ Mariæ del Rosario; et confirmamus in Priorem eiusdem Domus, R. P. F. Ioannem Stephanum, eiusdem Prouinciæ Prædicatorem generalem, cum auctoritate, gratiis, et priuilegiis solitis, et consuetis. Item in eadem Prouincia acceptamus, et quatenus opus esset, confirmamus, acceptationem Domus Sanctorum Antonii, et Telmi, ciuitatis Alicantis.

In Prouincia Sanctæ Crucis, Acceptamus, et quatenus necesse esset, erigimus in Conuentum, et Prioratum Domum nostram Insulæ de la Margarita, cum gratiis, et priuilegiis consuetis; et confirmamus pro hac prima vice, in Priorem illius, R. P. F. Ioannem Diaz, a Reuendissimo olim Ordinis Magistro F. Sixto Lucensi institutum, atque approbatum, et c.

In Congregatione Apprutina Sanctæ Catherinæ de Senis acceptamus Conuentus Sancti Seueri Maioris, et Iesu Mariæ Sancti Vincentii de Neapoli, ac eorum erectionem in Prioratus.

TRANSLATIONES.

IN Prouincia Aragoniæ transferimus affiliationes H. Marci de la Bega, et fratris Dominici Palomar conuerforum, a suis originalibus Conuentibus, ad Conuentum Sancti Ioannis Vincentii Fontinentis; ac F. Iosephi Seranno, a Conuentu S. Francisci, ad Conuentum Valentinum: accedente tamen debito consensu, et seruatis seruandis.

E ij Item

Item in eadem Aragoniæ Prouincia, ratam habemus translationem filiationum fratris Didaci Mas Præsentati, ex Conuentu Sancti Stephani Salmanticensis Prouinciæ Hispaniæ, ad Conuentum Prædicatorum Valentini; fratris Ludouici Milan, ex eodem Conuentu Sancti Stephani, ad Conuentum Sancti Matthæi; fratris Michaelis Thamarro, ex Conuentu Barchinonensi, ad Conuentum Perpiniæ; fratris Thomæ Fortunii Præsentati, a Conuentu Sancti Eunofrii, ad domum de Olleria; et fratris Petri Albinnano, a Conuentu de Lambaii, ad domum de Olleria.

A P P R O B A T I O N E S.

IN Prouincia Aragoniæ, approbamus Magisteria, et Præsentaturas eorum, qui a Reuerendissimo Patre Generali, vel a generali Capitulo promoti fuere.

Approbamus sententias a Iudicibus in præsentati Capitulo, tum in causis grauioribus, tum ciuilibus per nos deputatis, latas.

A S S I G N A T I O N E S.

IN Prouincia Aragoniæ assignamus Ven. PP. fratrem Ioannem Rainaut Conuentus Aquis, et Fr. Matthæum Dumar Conuentus Valentini, ex Prouincia Prouinciæ: eos plurimum in Domino, Prouinciali commendantes, ut illis Conuentum præscribere dignetur, in quo et Religioni, et litteris vacantes, dignos tandem ingenii fructus pariant.

C O N V E N T U S D E S I G N A T I

quorum Prælati conuenire debent pro examine recipiedorum ad habitum, iuxta Constitutionem S. D. N. Sixti Papæ V. in Prouinciis in quibus non quotannis Capitula celebrari solent.

IN Prouincia Aragoniæ Conuentus Valentinus, et Sancti Onophrii, et Sanctæ Crucis de Lambai. (Si vero per nationes deputentur) In natione Cathalonæ Conuentus Barchinonensis, et Tarraconen. In natione Aragoniæ Conuentus Cæsaraugustanus, et Collegium Cæsaraugustanum. In natione Valentina, Conuentus qui supra.

Omnes

Omnes supranominati Conuentus designati, et acceptati fuere in hoc generali Capitulo ad effectum supradictum: declarantes nihilominus Prouincialia Capitula in qualibet Prouincia posse deinceps alios Conuentus nominare; et supra nominatos, in alios commutare; et in Prouinciis, in quibus non sunt designati Conuentus, designare, prout sibi magis commodum fuerit; semper tamen iuxta Constitutionem, et Declarationem eiusdem Sanctissimi D. N.

Suffragia pro viuis.



- PRO S. D. N. Sixto V. quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro felici statu S. R. E. Catholicæ, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro Augustissimo Imperatore, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro Catholico Rege Hispaniarum, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro toto Regno Gallia, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro alijs Regibus, et Principibus Christianis, et maxime pro his, qui pugnant contra hostes Fidei, et pro hono statu totius Reipublicæ Christianæ, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro Illustrissimo, et Reuerendissimo Cardinali Alexandrino, ex nostro Ordine assumpto, et eiusdem nostri Ordinis Protectore, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro Illustrissimo, et Reuerendissimo Cardinali Carrapha, nostri Ordinis Viceprotectore, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro Illustrissimo, et Reuerendissimo Cardinali Aluano, ex nostro Ordine assumpto, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro Collegio omnium Illustrissimorum, et Reuerendissimorum Cardinalium, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro omnibus Prælati, præsertim ex nostro Ordine assumptis, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro omnibus benefactoribus nostris, et his præsertim, qui huic Capitulo elemosynas contulerunt, quilibet Sacerdos vnā Missam.
- Pro statu, et reformatione totius nostri Ordinis, et pro eius capite Reueren-

uerendissimo P. Generali, et in eius Societate laborantibus, quilibet Sacerdos vnam Missam.

Vbi Sacerdotibus vna Missa imponitur, semper aliis Clericis Letaniam, et laicis, ac conuersis triginta Pater noster imponuntur.

Suffragia pro defunctis.



DRO anima Illustrissimi Domini Cardinalis de Vr-
linis, ex Ordine nostro assumpti, qui perpetuam
cleemosynam nostro Capitulo generali, in suo te-
stamento reliquit; quilibet Sacerdos vnam Missam.
Pro animabus omnium benefactorum Ordinis nostri,
quilibet Sacerdos vnam Missam.

Pro animabus Fratrum, et Sororum Ordinis nostri;
quilibet Sacerdos vnam Missam.

Vbi Sacerdotibus vna Missa, aliis Clericis Officium mortuorum,
et conuersis Rosarium imponitur.

Concedit Reuerendissimus P. Generalis omnibus RR. PP. Prouin-
cialibus, et Diffinitoribus huius Capituli; vt possit vnusquisq. eorum,
iquempiam ad poenas grauioris culpæ hucusque damnatum, ad gratias
Ordinis (excepta voce passiuâ) restituere, dummodo sua humilitate, et
bono exemplo huiusmodi fauore dignum se præstiterit; ita tamen, vt
non comprehendatur in aliqua Constitutione S. D. N. Vel ob Fidem
sit damnatus.

Concedit idem Reuerendissimus, omnibus, et singulis Fratribus, et
Sororibus Ordinis nostri; vt pro vna vice tantum, eligere possint in
Confessarium aliquem Sacerdotem Ordinis nostri, ad confessionum
audientiam expositum; et ab eodem, de præteritis, vsque ad horum dū-
taxat notitiam, censuris, casibus, et peccatis omnibus absolui, a quibus
ipse Reuerendissimus absoluere possit.

Committimus, et tribuimus Reuerendissimo P. Generali, omnem
nostram auctoritatem in præmissis, et in omnibus aliis; vt valeat omnia
præmissa, ac omnia alia declarare, interpretari, addere, vel minuere, nec
non, et omnia, ac singula facere, quæ Capitulum generale, et nos facere
possumus, prout, eius prudentiæ visum fuerit opportunum.

Capitulum sequens, quod erit Diffinitorum secundum, assignamus
in Con-

in Conuentu SS. Ioannis, et Pauli de Venetiis, Prouinciæ S. Dominici, hinc ad tres annos 1592. in Festo Sanctissimæ Pentecostes.

Præcipimus in virtute Spiritus sancti, et sanctæ obedientiæ sub formali præcepto, omnibus, et singulis Prouinciarum, et Congregationū, ac Vicariarum Præsidentibus; vt huius Capituli Acta in omnibus Conuentibus suæ curæ creditis, quamprimum legere, et diligenter publicare faciant, et omnem operâ adhibere, vt inuiolabiliter executioni mandentur; et saltem quater in anno, in cuiuslibet Conuentus Refectorio legantur. Volentes, vt exemplaria impressa, et sigillo Reuerendissimi Patris Generalis munita, tamquam originalia approbata, et authentica vtique habeantur.

Fratres, qui gloriose obierunt.

IN Prouincia Portugalliæ obiit in fine anni præteriti, Adm. R. P. F. Ludouicus Granaten. vir doctrina, et sanctitate insignis, et in toto orbe celebris; vt eius opera mira deuotione, pietate, et doctrina referta testantur.

In Congregatione Apprutina Sanctæ Catherinæ Senensis, obiit Adm. R. P. Magister F. Paulinus Bernardinus de Luca, ex Prouincia Romana, vir integritate vitæ, excellenti ingenio, summa doctrina, et sanctitate conspicuus; qui reformationem in eadem Congregatione feruentissimo spiritu incepit, et summa diligentia quamdiu vixit, promouere studuit.

In Prouincia Tholosana, et in aliis Franciæ Prouinciis, plures Religiosi Ordinis nostri ab hæreticis interfecti; et ob eandem Catholicam varias persecutiones, et tormenta intrepide passi sunt; quorum nomina sunt in libro vitæ.

FINIS.



*Joannes Cocher
Dor Jhs*

